

Georg Mejer Philipp Fabricius


Disputatio XV. Collegii Metaphysici : De Accidente

Rostochii: Myliandrus, 1610

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729124541>

Druck Freier  Zugang






57

R. U. phil. 1609. 10.

12 gyl.

35 1717





DISPUTATIO XV.
COLLEGII METAPHYSICI
DE
ACCIDEN-
TE.

Quam

AUSPICE CHRISTO

In alma Rosarum Academia

PRÆSIDE

M. GEORGIO MEIERO

Duderstad. Sax.


Defendendam suscipiet

PHILIPPUS FABRICIUS

Slesvicensis.

Ad diem 20. Octobr. horis pomeridianis.

ROSTOCHII
Ex Typographia Stephani Myliandri
Anno 1715 CX.





DE ACCIDENTE.

Theorema I.

Accidens est Ens, non per sese, sed in alio, tanquam in subjecto, subsistens.

Est prima Entis Species, substantia videlicet altera sequitur, accidens, cuius considerationem presens disputatio exhibet.

II. Versatur vero accidentium natura & essentia in eo, quod insint subjecto: accidentium enim esse, ut vulgò dicitur, est inesse. Ubi enim quantitas, vel qualitas per se subsistit? Semper in alio, in substantia nimirum reperiuntur, ideoq; etiam per se, extra substantiam definiri non possunt: Ut enim res est, ita quoq; definiri debet. Hinc fit quod in definitione eorundem, loco generis sumatur forma, loco vero differentia, ipsum subjectum, cui inhaerent. Omnia vero oportet definiri in subjecto suo primo, non vero in subjecto secundo, quorum illud Graeci vocant *πεῖσμα* ἢ *δεξιόν*: hoc vero *δὲ* *αὐτοῦ*.

III. Et hinc etiam videre licet, quòd accidentia materiam ex qua nullam habeant, quemadmodum substantia: sed solummodo in qua, quia sine subjecto non existunt. Si enim materiam ex qua haberent accidentia, substantia essent, quibus tamen contradiſtinguuntur: nullum enim effectum; siue nullum genitum toto genere discrepat à principijs suis constituentibus. Quicquid igitur è materia gignitur, substantia est, corporea scilicet,

cet, quia & ipsa materia substantia est. Scholastici Dd. ipsarum, inquit, substantiarum est nasci & produci: accidentium vero conasci & conproduci.

Theorema II.

Accidens est vel absolutum; vel respectivum.

Accidens absolutum definitur id, quod nullum respectum obtinet ad aliud, terminum nempe aliquem extrinsecum, in subiecto extrinseco, propter quem necessario contingit relatio: aliud omne accidens siue sit absolutum, siue respectivum, respectum obtinet ad subiectum suum, cui inest, hac tamen differentiâ interpositâ, quod absolutum primò subiecto suo inest: respectivum vero non primò, sed interveniente accidente quodam alio, in quo fundetur. Quomodo igitur sublato subiecto, tollitur accidens absolutum: sic quoque sublato accidente absoluto, tollitur respectivum. Subiectum enim si esset nullum: neque ullum accidens esset. Accidens absolutum si non esset: neque accidens respectivum esset. Est vero accidens respectivum, quod non per se, sed cum respectu ad aliud consideratur.

Theorema III.

Accidens absolutum est duplex: quantitas, & qualitas.

Quantitas à materia; qualitas à forma oritur, ideoque etiam quantitas prior statuitur qualitate, quia materia prior est formâ, ut 1877 tamen. Et nunquam poterit quantitas tolli à substantia (materiata) ita ut substantia integritas salva permaneat, quemadmodum qualitas: quantitate enim destructâ, tollitur substantia, non vero destructâ qualitate, statim perit substantia, quia

quia pulchritudo tolli potest ab homine, eodem incolumi & salvo permanente, quantitas vero non item.

Theorema IV.

Quantitas est accidens, secundum quod res dicitur quantā.

I. Quantitatem autem proximè insequitur divisibilitas. Quicquid enim quantum est, in partes dividuum est, quia partem habet extra partem. Sic omnia corpora Elementaria quanta sunt, quia in divisione eorundem licet sumere partem extra partem.

II. Fuere, qui quantitatem prorsus cum substantia confuderunt, nullumq; inter hanc & illam discrimen intercedere statuerunt, moti 1. quòd quantitas à substantia nulla ratione, aut modo separari possit. 2. quòd quantitas planè eandem habeat cum substantia corporea definitionem. Ut enim substantia corporea partem extra partem habere dicitur: sic quoq; quantitatem partem extra partem habere, ajunt.

III. Caterum sententiam hanc, à rei veritate vel maximè alienam esse, quis non videt? accidens nonnè distinctum à substantia? Neq; rationes duæ in medium adductæ quicquam ponderis habent. Ut enim ad primam respondeamus, non omnia ea statim sunt unum & idem, quæ à se invicem separari, aut seungi non possunt, aliàs enim omnia accidentia inseparabilia, à subjecto, cui insunt, non differrent. Aliud itaq; est, esse distinctum: aliud, separatum. Licet quantitas à substantia separari non possit: distinguitur tamen ab ea, tanquam proprium adjunctum à suo subjecto. Ad secundam dicimus, non quantitatem in abstracto, sed quantum in concreto definiri, quod habeat partem extra partem: quia corpus est, quod partes habet secundum quantitatem. Licet ergo divisibilitas corpori insit ratione

quantitatis: *quantitas tamen propterea proprie dividi & in partes secari minimè dicitur: sed corpus quantum.*

IV. Est autem quantitas alia continua: alia discreta. Continua est, cujus partes communi quodam vinculo sive nexu coherent: Et species habet tres: lineam, superficiem, & corpus. Linea est quantitas unâ constans dimensione, longitudine scilicet. Extrema ejusdem sunt duo puncta. Superficies duplici constat dimensione, nimirum longitudine & latitudine. Extrema ejus sunt duo termini, quorum unus dicitur concavus, alter convexus. Corpus trinâ constat dimensione, longitudine, latitudine & profunditate. Extrema sunt termini, quibus quoddam corpus continetur & finitur.

V. Discreta quantitas est, cujus partes nullo communi termino copulantur, sed perpetuò à se invicem sejuncta sunt. Ejus species vulgò constituuntur duæ: numerus & oratio. Numerus dicitur multitudo, ex unitatibus collecta. Oratio hic non consideratur quatenus est in mente, sed quatenus ore profertur, ac propterea ad quantitatem discretam refertur, quod numero & quantitate syllabarum mensuretur, ejuſq; partes communi termino non cohereant.

Theorema V.

Qualitas est accidens, secundum quod res dicitur qualis.

I. Qualitas aliàs definiri solet, quod sit id, per quod substantia est efficax, qua definitio potius ex accidenti est, quàm per se. Licet enim qualitas instrumentum sit forma, per quod operationes suas exercent: tamen necessum non est, ut semper operetur. Satis enim est quoquo modo rem qualem dici, etiam absq; operatione. Præterea nimis angusta est, quia non omnibus speciebus qualitativè competit. Non enim impotentia, & figura ejus conditionis sunt, quod per eas forma efficax esse possit. Definitio

rio autem generis, quæ omnibus suis speciebus non competit, legitima non est.

II. Sunt autem qualitatis species quatuor: 1. habitus & dispositio. 2. naturalis potentia & impotentia. 3. passio & patibilis qualitas. 3. figura & forma.

III. Habitus est qualitas comparata crebris actionibus, difficulter mutabilis. Dispositio vero est qualitas, subjectum preparans ad subsequentem habitum, sed facile mutabilis. Et differunt habitus & dispositio tribus potissimum modis. 1. ratione antecessionis & consecutionis. Dispositio est via ad habitum: habitus vero est ipse terminus, sive finis, ad quem dispositio dirigitur. 2. ratione perfectionis & imperfectionis. Dispositio imperfectum quiddam est: habitus perfectum. 3. ratione durationis. Dispositio facile mutatur: habitus vero difficulter.

IV. Naturalis potentia rem aptam ad agendum reddit. Impotentia ineptam. Et oritur tam potentia, quam impotentia à natura, quæ eas rebus apposuit, ut earundem adminiculo, & habitus & dispositiones quas si res consequeretur. Sequuntur vero potentia & impotentia in rebus inanimatis mixtionem, quæ quia subinde alia est, alias quoque in rebus inducit qualitates: in animatis vero animam ipsam, quæ earundem forma existit. Sic inter animalia, solus homo literarum est capax, propter animam scilicet rationalem, quam talis potentia naturalis consequitur.

V. Passio est ipsa in sensibus, ex objectis sensibilibus orta, impressio. Patibilis qualitas est ipsum sensus objectum, quo primo sensus movetur, & afficitur. Sic color est patibilis qualitas visus, sonus, auditus, odor, olfactus; sapor, gustus; quatuor primæ qualitates, calidum scilicet, humidum, frigidum, siccum, & quæ ex his oriuntur, tactus.

VI. Figura dicitur, quæ resultat ex terminatione quantitatis, simpliciter ac in se spectata, ut figura trianguli, quadranguli, &c. Forma vero qualitas, quæ resultat ex terminatione quan-

quantitatis, in re aliqua naturali spectata, & locum proprie habet in animantibus. Sic forma hominis, vel leonis ea dicitur, quae est lineamentis corporis utriusque nascitur. Hac de accidentibus absolutis sequuntur respectiva.

Theorema VI.

Accidentia respectiva sunt septem: Relatio, actio, passio, quando, ubi, situs, & habitus.

Relationem accidens respectivum esse manifestum est. Reliqua posteriora sex accidentia, sunt qui ad absoluta: sunt item, qui ad respectiva referri volunt. Verum neutro modo commode id fieri posse videtur. Primò enim respectum habent, ideoque absolutis annumerari minimè possunt. Secundò, alio sese habent modo, quàm relatio, quod cuilibet obvium est. Statuimus itaque relationem esse accidens purè respectivum: reliqua vero mediam quandam naturam obtinere, & nec purè absoluta, nec purè respectiva dici, sed denotare respectum quendam, & quidem fortinsecus rebus absolutis impositum.

Theorema VII.

Relata sunt, quorum esse nihil aliud est, quàm ad aliud referri.

I. Et sunt relata alia realia: alia rationis. Realia in ipsa natura consistunt, licet nullius hominis cogitatio accedat, ut sunt pater & filius. Relata rationis tantummodò à mente nostra pendunt, ut dextrum & sinistrum in columna.

II. Deinde relata dividuntur in relata secundum esse: & secundum dici. Illa sunt, quae totam suam essentiam habent ab alio, ad quod referuntur. Sic pater & filius relata sunt secundum esse, quia

esse, quia essentiam totam habent ex sese mutuo: hac, qua proprie & primario quidem in absoluto aliquo predicamento ponuntur, sed propter respectum aliquem, quo aliud quiddam respiciunt, ad relationis categoriam referuntur. Sic scientia relatum est secundum dici, quatenus refertur ad scibile: tota enim scientia essentia non est, referri ad aliud, id est, in categoria qualitatis proprie collocatur.

III. Porro relatorum alia dicuntur equiparantia: alia disquiparantia. Illa dicuntur, quae nullo, vel inferioris vel superioris respectu habito, inter sese similia sunt, ac plerumque idem nomen habent, ut sunt duo fratres, duo amici: hac, quorum unum altero superioris est, ideoque diversis nominibus exprimentur. Sic pater & filius, Dominus & servus, Rex & subditi relata sunt disquiparantia.

IV. Sunt autem in relatis quatuor consideranda: subjectum, fundamentum, relatio, & terminus. Subjectum est substantia, non minus quam aliorum accidentium, etiam absolutorum. Fundamentum est accidens aliquod absolutum, quantitas nempe, vel qualitas. Relatio est ipsa habitudo relati ad suum correlatum. Sic quae inter patrem & filium intercedit habitudo, dicitur relatio, Terminus denique dicitur, cujus gratia relatio est. Sic limes terminum habet agrorum distinctionem.

Theorema IIX.

Actio est accidens, secundum quod agens agere dicitur.

I. In actione quatuor consideranda veniunt. 1. agens à quo actio proficiscitur. 2. patiens, quod actionem in se recipit. 3. id quod debet introduci. 4. ενεργεια, sive ipsa actio, qua mediante ipsa res introducitur. Sic ut aqua calefiat, requiritur primò ignis, tanquam agens: requiritur deinde aqua, tanquam subjectum patiens:

B

tertio

vertio calor, tanquam res introducenda: & ultimo ipsa *ἐπέγεται* ignis in aquam.

II. Constituitur actio duplex: immanens & transiens, è quibus illa dicitur, quæ remanet in agente, ipsumq; perficit. Hujus generis sunt actiones anima, ut intellectio & volitio: hæc vero, quæ ab agente quidem causatur, sed tamen in aliud quoddam subjectum introducitur. Sic transiens actio est calefactio Solis, quæ à Sole quidem perficitur, à corporibus vero sublunaribus suscipitur.

Theorema IX.

Passio est accidens, secundum quod patiens pati dicitur.

Passio & actio unus sunt motus, docente Philosopho lib. 3. phys. c. 3. quia tantum respectu variant: Agentis enim respectu dicitur actio, patientis, passio. Quare passio ab actione realiter non differt, sed sola ratione, *ὡς ἢ ὀδὸς ἢ ὄνηθεν Ἀθίναζε, καὶ ἢ Ἀθίναζε εἰς ὄνηας*, ut Philosophus loquitur loco citato. Unde etiam isdem requisitis gaudet, quibus actio.

Theorema X.

Reliqua postrema quatuor accidentia nihil aliud sunt, quam certæ determinationes loci & locationis, ut ubi & situm esse: similiter temporis & externæ habitudinis corporis, ut quando & habere.

Ubi enim habitudinem rei ad locum denotat, & ea complectitur vocabula, quæ rem significant in loco constitutam. Situs certam denotat diversarum partium corporis ad se invicem, & ad totum, habitudinem. Quando ea complectitur, quæ rem in tempore constitutam denotant: Unde etiam dicitur habitudo rei temporalis, ex temporis mensura, in quo res est, fuit, & erit. Ut enim ubi habitudinem rei ad locum denotat: Sic quoq; quando habitudinem ad tempus. Habere deniq; sive habitus dicitur co-

11111

rum respectu, quæ corpori adjacent. Et est vel naturalis, ut habere capillos in capite: vel artificialis, ut tunicatum esse. Artificialis iterum est vel ornamenti, ut annulatum esse: vel indumenti, ut togatum esse, loricatedum esse, &c.

Theorema XI.

Impossibile est accidens migrare de subiecto in subiectum.

I. Quicquid enim de subiecto uno in aliud migrat, illud propriam subsistentiam habeat necessarium est, cujus beneficio emigrare possit. Accidens vero propriam subsistentiam nullam habet: nullum enim per se subsistit, sed omne in alio. Et migratio, quæ nihil aliud est, quam motus, corporibus tantum, non accidentibus competit: affectio enim propria motus est corporum. Quare neutiquam statuendum, quod accidentia de subiecto uno in aliud migrent.

II. At inquis: Nonne morbi contagiosi, ut sunt lepra, & pestis de uno homine migrant in alterum? Dico morbos istiusmodi migrare propriè non dici: nam illud propriè migrare dicitur, quod terminum unum à quo relinquit, & ad terminum alterum ad quem fertur. Non vero pestis & lepra ita migrant in corpus aliud, ut in priori esse desinant, seu id relinquant. At illos, morbis his qui laborant, alios tamen inficere, quod fieri non posset, nisi morbus migraret de corpore in corpus. Id vero omnino fieri posse, sine isthac migratione statuimus: nam humor quidam, siue halitus venenatus, qui substantia est, ex uno corpore in aliud transfertur, atque sic in illo humore portio quadam morbi. Dicis ulterius: si halitus, & unà cum eo morbus corpus egreditur, manet adhuc verum, quod accidens de uno corpore in aliud transire possit, nam quod de halitu dicitur, id rectè etiã dici potest de morbi portione, quæ in halitu. Sanè transit, sed non per se, verum per aliud, quia mediante humore transit, atque sic subiectum suum non egreditur, quia halitum, in quo est, non relinquit.

Theo-

Theorema XII.

Idem accidens numero potest esse simul
in duobus subjectis.

I. Plurima absurda ex hoc theoremate nostro deduci posse videntur, ut quod sequatur: 1. unum non esse unum. Nam quae in diversis sunt subjectis, diversa esse necessum est. 2. accidens unum duplicem habere essentiam: essentia n. accidentis dependet à subjecto cui inest: Si itaq; duplex statuitur subjectum accidentis, necessario duplex statuitur essentia accidentis. 3. theorema hoc impugnare precedens. Majus enim absurdum videtur, statuere accidens unum esse in duobus subjectis, quam accidens migrare de subjecto in subjectum. Si enim accidens unum numero non potest successivè esse in duobus subjectis, ut in theoremate precedenti probatum fuit, multo minus in duobus simul esse poterit.

II. His & id genus alijs ut occurramus, distinguiamus inter subjectum primum & secundum. Nullum accidens potest esse in duobus simul subjectis primis: Potest autem esse in duobus, ita ut in uno sit, tanquam in subjecto primo, in altero, tanquam in secundo. Nam idem numero color qui est in igni, reperitur quoq; in ferro ignito: verum in igni tanquam in subjecto primo, in ferro tanquam in secundo: mediante enim igni, qui ferro est conjunctus, calor in ferro reperitur.

COROLLARIA.

I.


An figurarum sive characterum aliqua detur efficacia in alterandis, seu mutandis corporibus? N.


II.

An relata naturâ sint simul? A.

III.

An relatorum unum rectè definiatur per alterum? A.





306. sect. 20. in hac verba erumpens: Omne quod est, a primo principio, aut à primo principio. Unalia dependent igitur. Ergo suâ naturâ omnia corruptibilia. Est itaq; spiritus corruptibilis: & natura: nunquam vero corrumpitur: & nunquam immortalitate Deo ipsum donavit.

Theorema II.

Spiritus est vel Angelus, rationalis.

Legitimam hanc esse spiritus divisionem, concedere licet. Nam 1. Angelus tantum, & animalia sunt. 2. immortalitate fruuntur. 3. per se existunt. Ergo etiam tantum spiritus existunt.

Theorema III.

Angelus est spiritus, qui per se non existit in corpore, sed semper extra corpus.

I. Dicimus Angelum per se nunquam in corpore per accidens tamen id fieri posse, concedimus. quando corpora assumere, ut appareant hominibus. Et testatur Scaliger, Angelos ipsos sibi corpore esse. 359. sect. 13. Verum quia hujuscemodi corpora non sunt, & natura eorum non est, corporibus reformare, merito per se ab omni corporis unionem.

II. Sunt vero Angeli in duplici differentia: quidam mali. Malitiam intelligimus, sed moralem. Diabolus enim ratione essentia, ac Angelus bonus. Quia 1. est Ens. 2. bonum: quia bonum cum Ente convertitur. Quicquid autem à Deo creatum est, bonum est.

A 3



the scale towards document